



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 4. Vtrum vsus præcedat electionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS IV.

Vtrum vsus precedat electionem?

8
 Responde-
 tur sub di-
 stinctione.

Conclusio Prima, Si electio & vsus comparentur ad idem; electio est prior vsu: electio enim pharmaci, est prior vsu pharmaci; electio instrumenti, est prior vsu instrumenti.

Conclusio Secunda, Si comparentur ad diuersa, vsus potest antecedere electionem: nam vsus, quo voluntas vititur intellectu ad consultandum, est prior electione; quæ sequitur consultationem.

Prior Conclusio probatur à D. Tho: satis obsecrè. Potest sic explicari. Voluntas prius respicit aliquid tamquam obiectum volitum, quam respiciat illud tamquam effectum suum executioni mandandum: sed per electionem respicit medium tamquam obiectum volitum; per vsum verò tamquam effectum suum mandandum executioni ad finem consequendum: ergo electio est prior vsu. Idè clariùs sic probari potest. De ratione electionis nõ est vt simul tempore & naturà coniunctam habeat executionem (eligimus enim id quod postea exequendum est:) atqui de ratione vsus est, vt simul tempore & naturà sit coniunctus executioni: ergo electio præcedit vsum. Minor probatur; quia vsus formalis seu passiuus est ipsa executio seu operatio potentie exequentis; vsus autè actiuus est quidem ipsa volitio ordine naturæ prior executione; sed hæc volitio non habet rationem vsus actiui, nisi quatenus iam actu mouet potentiam exequentem; & ita vsus actiuus includit executionem in obliquo; est enim volitio mouens actu potentiam exequentem ad operandum.

Dices, Hinc sequi, eundem numero actum posse esse vsum actiuum, & electionem.

Respondeo, Id verum esse. Tamen actus ille alià ratione est electio, alià vsus. Est electio, quatenus est volitio medij, tamquam obiecti. Est vsus actiuus, quatenus est causa mouens ad executionem, coniuncta executioni. Sunt igitur diuersæ rationes horum actuum, etiam si in eundem numero actum possint conuenire.

Idem numero actus potest esse electio & vsus actiuus.

DVBIVM.

Quando electio sit actus distinctus ab vsu actiuo, & quando non?

Respondeo, Quando aliquis ita eligit aliquod medium, vt ex vi illius electionis non sequatur immediatè executio, sed opus sit alia voluntate ad executionem; tunc electio est actus omnino distinctus ab vsu actiuo. Vt cum proponimus aliquid facere, v. g. studere, sumere medicamentum; sed non statuimus simul de tempore, loco, modo, materià & similibus circumstantijs ad executionem necessarijs; quo pacto passim fit electio mediolorum. Et ita verum est quod ait D. Thomas ad 1. *Vsum esse medium inter electionem & executionem*, quia est actus medius distinctus ab extremis.

Quando verò ita quis eligit, vt ex vi illius electionis absque alia volitione interueniente sequatur executio, tunc illa electio eodem momento quo sequitur executio, fit vsus actiuus. Vt cum aliquid eligimus hic & nunc cum ceteris circumstantijs, v. g. hanc medicinam hoc tempore & loco sumendam: & hoc modo vsus non est actus medius inter electionem & executionem, tamquam realiter distinctus ab electione; sed idem actus secundum rem est electio & vsus actiuus; & solum secundum rationem, scilicet quatenus habet rationem vsus, est medius.

Notandum in Resp. ad 3. vbi D. Thomas ait in quolibet actu voluntatis posse accipi consensum; electionem, & vsum, id non sic esse intelligendū, quasi in quouis actu voluntatis hæ tres rationes explicitè concurrant; id enim falsum est; sed solum implicitè & virtute hæc sunt per vnum eundemque actum tripliciter consideratum, quia omnis actus voluntatis implicitè reflectitur super seipsum. Itaque qui eligit aliquid, implicitè etiam eligit ipsum eligere, quatenus præfert ipsum eligere ei, quod est non eligere. Consentit etiam in electionem, quatenus placet absolute electio sine comparatione ad non eligere. Denique vititur etiam sua voluntate ad electionem, quatenus per eundem actum eam ad electionem applicat. Itaque solum est vnus actus simplex triplici modo consideratus. Possent hoc modo etiam plures rationes in eodem actu considerari; vt actus imperij, & vsus passiuus.

7
 Responde-
 tur sub di-
 stinctione.

Explicatur
 D. Thomas
 quomodo
 in omni
 actu sine
 consensu
 electio &
 vsus.

QVÆSTIO XVII.

De Imperio.

ARTICVLVS I.

Vtrum Imperare sit actus rationis?

Conclusio, Imperare est essentialiter actus rationis: supponit tamen actum voluntatis, cuius virtute moueat ad exercitium actus.

DVBIVM I.

Cuius potentia actu sit imperium?

Quidam Doctores sentiunt, Imperium esse actum voluntatis. Nihil enim esse aliud, quam efficacem volitionem, vt aliquid fiat. Ita Iac. Almainus tract. 3. Moral. c. 2. Ioan. Medina C. de oratione, q. 2. Occam in 3. q. 12. & alij.

Contrarium docet hic D. Thomas cum suis. Verum vtraque sententia rectè explicata vera est. Vnde notandū est, imperium dupliciter accipi posse; Primò, Proprie: & sic respicit alterum, sci-

Almainus,
 Medina,
 Occam.

licet